Kriesig

Opuscula in his miscellaneis sub Wro contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sin. an.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Biezanowski utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675
3. Inaccessa Sanctissimæ Virginis Montana per Thom. Gromnicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
4. Majestas sacra claromontanæ Imaginis per Dionys. Chelstowski O.S.Paul. Claromonti 1717. Orat.
5. Oraculum parthenium Virg. Deiparæ honori a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Biezanowski Crac. 1668. simil. n. 2.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. Majestas a Seb. Piskorski versib. dem. Crac.
7. Theatrum Marianum.. in nemore Strzyscensi a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.
8. Kazanie przy tuszym solenn. Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bl. Stan. Kostki przez Stefana Szczanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Kalisz.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gninskiego na Ur. B. Stan. Kostk. 1687 miane. w Krak.
10 Korona z pochwał SS dwóch [illegible] uwita per X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S. Jan Nep. i Ant. Padew.
11 Laska i pieczęć nadworna Niebieska. czyli Kazania na S. Jan. Krziciel. i Jan. Nep. per X. Fortunata Łosiewskiego[+] w Krak. 1732. + Franciszkana.
12 Małogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xiężn. Ostrogskiey per Woyc. Czarnockiego S.J. Krak 1636
13 Promocya Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie per X. Fortun. Łosiewskiego Krak. 1732
14. Syn przyrastaiący S. Józef. czyli nań Kazanie per X. Marcelli Dziewulskiego Franc. Krak. 1725.
15 Acumen doloris ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. per Matthæum Jos. Kolędowicz Crac. 1721.
16 Ad mentem Patriæ caput Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatum a Coll. Posn. S.J. relat. Posn. 1699.
17 Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joa. Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687
18 Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiolek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19 Dissertationes sup rubricas de sepulturis et sumptib. funer. per Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20 Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński per Seb. Tortowski Crac. 1712. orat.
21 Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
Encomium ad solemnes exequias
In obitum Serenmi Principis
Jactura orbis literarii transmissa
} desiciunt.
22 Xiężyc JW Leliwy w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak S.J. 1729. Księżyc
23 Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria sæculor. in obitu Aug. II per Ign. Cant. Herka. 1734. panegyris
25 Monumentum doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versu lat. et pol. per Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26 Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stoxowski porrecta per Joan. Byszkowski Crac. 1672 Orat.
27 Monumentum aureæ pipenni exaxatum in ob. Alb. Koryciński Arch. Epp. Leop. per St. Jos. Biezanowski Crac. 1677. orat.
28 Munus et dolor sæculor. Stan. Dębski Epps Crac. comploratus a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini per Ant. Jos. Zołędziowski descripta Crac. 1750. Poesis.
30 Splendor Korybuthei sideris in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine consecratus Crac. 1676.
31 Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chometowskiego per X. Brun. Osieckiego Z.S.P. Częst. 1729. Kazanie
32 Tropheum ex immatura morte Helenæ Opalinia in Eccl. Rythw. a Carolo Trewani paneg. consecr. Crac. 1676.
33 Viva mors seu morti superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraz a Nic. Grodzienski Crac. 1631. elogia.

~~34~~ Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

Anonymus 1, 16, 18. 21. 22 23. 28.
Agnensis Joan. Bapt. 2, 5.
Biezanowski Stan. Jos. 2, 5, 27.
Brocki Mathias 30.
Byszkowski Joann. 26.
Bytomski Joann. 7.
Chelstowski Dyonysius O.S.Paul. 4.
Czarnocki Woyciech S.J. 12.
Dzidowski Joan. Stan. 17
Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr. 14.
Gninski Jan Chryz. Benedykt 9.
Grodzieński Nicol. 33.
Herka Ignat. Cant. 24.
Kolędowicz Mathias Jos. 15
Lipiewicz Andreas 19.
" X. Antoni O.M. 10
Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr. 11. 13.
Osiecki X. Bruno Z.S.Paws. 31
Piskorski Sebastianus 6
Gromnicki Thomas - - - 3.
Rzewuski Stanislaus 25.
Szczaniecki X. Stefan S.J. 8.
Tortowski Sebastianus 20
Trewani Carolus 32
Zołędziowski Ant. Jos. 29.

# ACUMEN DOLORIS

Ex pallentibus inter mortales umbras

ROSIS,

DOLENDO FATO,

CELSISSIMI PRINCIPIS,

ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. STANISLAI

à SLUPOW

SZEMBEK,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS,

Legati Nati, Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lith.

PRIMATIS, Primiq; PRINCIPIS,

ARCHIABBATIÆ Tinecensis, perpetui Administratoris.

STATUUM REGNI,

& Cracij Apollinis mentibus,

INFIXUM.

Et inter funebralia, Sepulchralis pompæ,

In ARCHICATHEDRALI ECCLESIA Gnesnensi, celebrata,

ad immortalem Magni Mecænatis memoriam,

non sinè lachrymis,

officiosissimo cultu,

Per M. MATTHÆUM IOSEPHUM KOLENDOWIC, Ph. Doctorem, Regium & Tylicianæ Eloquentiæ Professorem, Collegam Maiorem, Ecclesiæ S. ANNÆ Cracov: Canonicum.

EXPLICATUM.

Annô quô, 1721

MorDens CLotho ROSAS, Læta, eXVasto, heV! rapIt Orbe.

Die 9 Septembris.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

Joan Bellaus Card: Paris. in vita Francisci I. Gall: Regis.

*Gratia, forma, decus, probitas, facundia, candor,*

*Relligio, Charitum spes, amor Aonidum.*

*Iussa mori.* (Vir. l. 3 Æn.) *Sacri decus & pars magna Senatus,*

Paulus Amanius Cremensis.

*Hic est, qui Patriæ labentem restituit rem*

*Bene consulendo Patriæ.*

- - - - *hoc salvo Clavumq; regente*

*Vixit beata Civitas.*

*Ergo animam illustrem, æternum salvere iubete,*

*Qua Patriæ stetit salus.*

Julius Feroldus.

- - - - - *ævô fruiture beatô,*

*Lætus abi in Cælum, te vocat ipse DEUS.*

apud Jovium in Elogio Roffensis Cardinalis.

# ACUMEN DOLORIS.

MAjeſtuoſa licèt, hodie tamen ſuæ amplitudinis exſors, omnem ferè dicendi ſcribendivè reſpuit pompam Eloquentia, ubi Magnus Regni PRIMAS, Maximus Literarum Mecænas, cum auguſtis Cineribus mortali arctatur in urna. O fatorum ſævitiem! o inexorabiles ultra ſuum nomen Parcas! Quis Hortenſius vel Arpinas floridiori ſtylo excellere hodie contendet? ubi ROSARUM pallore, Regni Lechici totum qua latè patet Campum, atrox Libitina funeſtat. Quis Tullius vel Iſocrates eleganti verborum apparatu eminere præſumet? fati neceſſitate ſquallorem ubiq; circumagi urgente. Matura æſtas, grandævæ amplius Magni ARCHIPRÆSULIS ætati invida, omnibus in hoc adverſa, ſingulis aſpera & infeſta, quòd roſeum Patriæ decus amittat, quod flores, quos ſemper vernare decet, deperdat. Nonas Auguſti, Decembralibus rigidiores ferijs! quibus lethales Primatialibus ROSIS

cæptæ inferiæ. Publicâ Regni câlamitas, Civium dissensione, Vrbium cladibus, exitiali hostium irruptione, Populi strage, & innumeris concatenatis malis, quorum finis unius, gradus erat futuri, invalescens, hoc unicô pensabatur solatiô, quod nobis boni Superi optimos rerum Arbitros & Statores, sapientiâ, uno tantum Jove minores conservarent; quòd Protectores in remediũ malignantis fortunæ providerent. Sed ecce pace desuper concessa, feralis Clotho extulit ferrum, ut magis ex inopinato feriret; lethiferum falce incussit ictũ, ut Acumen doloris, qui corda, qui animos lancinaret, in immensum protenderet. Sustulit illum ex oculis, cujus sacratior frontis apex honestabat Aras, cujus prudenti moderatore genio stabat Patria, cujus Divino prope spiritu omnium animabatur vita: inflixit huic crudele vulnus, cujus sano consilio, cruenta, quæ exitiale hostium & infensorum Civium, totius Reipublicæ Corpori induxerat ferrum, curabantur vulnera. Eheu quot ex uno ictu dolores! quæ in uno nomine damna, quæ jactura! quot in unius fato mortes! quot in obitu orbitates! PRIMAS nempe primusq; Regni PRINCEPS, ultimam in puncto subijt fati necessitatem; quo acerrimo libertatis

vin-

vindice & Asſertore, diu & feliciter Reipublicæ ſtare momenta in experto eſt. Flos ille PRINCEPS emarcuit, qui fronte modeſtiam, genis verecundas roſas, mellitis lilia labris, gratias aſpectu, præferens, Oraculum in Conſilijs, exemplum in factis fuerat; à cujus ſudanti fronte quam ſollicita boni publici ratio inundabat, vigor & viror in Campum Lechicum uberrimè decurrebat. Occidit ille, principale primæ magnitudinis Sidus, Regum delicium, ſumma gentis gloria, ingens olim ſeculorum munus, nunc dolor, Senatûs Ampliſsimi purpuraſcens ROSA vel potius radians Cynoſura occidit! Congruum eſt itaq; omnium oculos humentibus rigari lachrymis, juvat tantam madentibus genis defleri jacturam ac irreparabile damnum. Juſtus hoc à Patria exigit dolor, tenerrimus omnes ſollicitat amor & urget; hoc lugubris in tragico actu præſenti extorquet ſcenâ.

Hæc vix luctiſonâ profero voce, jam audire videor, per omnes Orbis Lechici angulos, querulas ingeminari voces, per diverſa Regni Climata crebros circũſonare gemitus, omnes illachrymari, ſingulos novis laborare ſingultibùs, Tyrannumq; dolorem crudeliſsimè in lamentantium viſcera ſævire. Specto, ah dolen-

dum specto! in Jagellonis Athenæo hunc parricidam nimis debacchari! Non suis Helicon virescit frondibus, pallor ipsi & mæror omnia funestans subito introductus. Non svavi susurro pellucida fluit Hypocrene, squallentis Cocyti lachrymabili aquæductu inundatur. Circumstant Stoam intempesti, quales omnem temerant hilaritatem, luctus; non doctis jurgijs decertant Porticus & Peripathi, cuncta mærent, omnia dolentibus implentur scenis. Pallas ipsa, ægide abacta flebilem agit Nioben, Cracilidesq; Musas veras dixeris Præficas, an Heliades, rorido lachrymarum vultu madentes. Surgente funebri sarcophago, & tragico in medium protenso Syrmate, perit omnis Eloquentiæ majestas. Tulliana fluenta abiere, in densa lachrymarum stillicidia, nullasq; licet prolixiores formare thases, ubi vitæ summa brevis, sua clauditur periodo. Magnis consona meritis Oratoria Pneumata, luctuoso distrahuntur sensu, solito deficiunt affectu & motu, ubi vitales Magni Primatis spiritus in æthereas transfusi sedes. Desunt profectò, sua Eloquentiæ lumina, quibus extincto PRINCIPI, Patriæ Patri, parentare deberet; nullumq; ad funebrem pompam sibi superesse dicendi apparatum,

præ-

præter Acumen doloris; quod in perennis quàm reverentiſsimæ magno Mecænati gratitudinis erit argumentum.

Res in Orbe univerſas, communi ſorte fluentes, hac certa & æterna conſtare lege, ut quidquid Ortûs ſui vidit principium, ſpectet & occaſum. Princeps ipſe Planetarum Sol, Oculus Mundi, Vniverſi anima, oritur & occidit; qui renaſcens quidem flammigero curru Eois ſurgens ab undis, gyrat per meridiem, flectitur ad Arcton, ac tandem occiduis abſconditur oris. Fato quodam ſive naturæ inſtitutione, quæ omnia mutat, invertit, & certis intervallis diſperdit, agimur: quòd tam Rerumpublicarũ formæ, quàm Microcoſmi facies, varios cogantur experiri ſtatus, ad interitum vergere & declinari. In Orbe Romæ veteris, cujus antiquitate ſuperbientis vix ſigna ſuperſunt, imperium primò Regibus, pòſt Conſulibus, & Tribunis, non abrogato plus ultra, cum inſigni revolutione ceſserat. Viribus æq; ac opibus potens Aſsyriorum Regnum, miramur transvolutum ad Perſas, Aſiam infeſtis armis occupatam à Medis. Quod Regnante Cyro Rege feliciter cæpit, Artaxerxe floruit, Perſarum imperium, Dariô ultimô, à primis ſui Cardinibus motum, defe-

 cit.

cit. Fregit Macedo invictam Græcorum potentiam, diripuit inexpugnabiles Lacedæmonum urbes & opes. Romulidarum victricibus signis & Armis Macedones, ac cuncta Græcia corruit. Fuere Troes, stetit Laomedontea moles, ad quorum superba Pergama, ne Vulcano cessissent in victimam, tutanda, nec ipse Conditor Neptunus totô suo Oceanô tumens sufficerat. Et nè dissitas, & priscis tantum annalibus insertas, Regnorum & rerum vicissitudines lustrare videamur, nostra ætate ipse cæcutiens Tyresias exploratum habet, quàm continua mutatione ludicra fortunæ, vel inevitabilis fati sumus. Stando cadimus, & sensim sine sensu consumimur: invictæ necessitatis legi, quæ in jus vocari nequit, cedimus, admirati, quòd tristia lætis succedant, & ex hilarijs lamenta, elementorum more adinvicem nascantur. Stare diu nescit, etsi cælatum Phidiæ opus, humi prosternendum, casum minatur, ad exitium propendet, quod non fulcitur ab alto. Sola mori nescia, Origine cælestis, Superûm donô, mortalibus pro dote concessa viget æternûm, & intaminatis fulgens honoribus perennat, celebri sociata Nomini Virtus. Bene est, abunde est: Hanc nempe Celsissimus PRIMAS, Majorum institutô receptam, magnorum Aborigenum vi in-

gen-

genitam, suorum maximè operâ meritorum excultam, possedit, ampliavit, servavit. Claruerunt Magni SZEMBECIj hoc dotati munere, quòd pulcherrimis & raris factorum conatibus illuc eluctari niterentur, unde cuivis Celsitudini honorum pares, & in seris Nepotibus felices eminerent.

Seculis continuatus labor, amplissimo meritorum nexu si recensebitur, proferet in SZEMBECIANIS Rosis virtutem incomparabilem, ad amovenda Cæsarum vitæ & fortunæ pericula, & ampliandos fideli obsequio favores; evolvet pro Regum & legum authoritate folia, sangvineo sudore purpurata, ipsosq; flores sic explicabit, ut his & labens cum Cæsare Imperium fulciri, & langventem Patriam refici SZEMBECIANUM declaret. Neque tamen hîc refert, insigne Pantheon Virûm proferre, magna Nomina ad numerum revocare; alios scilicet Martialibus redimitos laureis Bellatores Epaminundas, alios digno purpuratos murice in Senatu Consos, alios fascibûs & ingeniô graves, ut ex tam augustis Cineribus ingens gloriæ, secuturæ posteritati consurgat Olimpus. Singulis idem conatus, eadem virtus, non dispar genius, accepta à Majoribus decora au-

gere, Heroicis vestigijs pertinaciter insistere, magna in Patriæ decus opera moliri, & non tantùm sangvinis, sed & virtutis hæredes esse, ut Orbi constaret, plures longè invictis Decijs, vel tercentis Fabijs esse, quibus & stetisse pro Patria, & cecidisse gloriosum. Verùm quàm in tota Græcia dexter Achilles, in toto Ilio animosus Hector, ita in Celsissima SZEMBECIORUM Domo, Illustrissimus Dominus FRANCISCVS à Słupow SZEMBEK, Castellanus Camenecensis, dignissimus Magni Primatis Parens, excellit & eminet; tantùm virtutibus inter Heroes animos radians, quantùm inter pretiosiores lapillos adamas. Defuerit sanè præcellens meritorum gloria, quibus ad fastigium purpurati honoris evectus inclaruerat, magna ipsi, & seculis expectanda optandaq; Soboles, & in hac, Primas natu, meritorum eminentiâ maximus, honore Celsissimus, ad commendationem satis. Senator ille, ingentium meritorum, quibus vivit post fata superstes, plenus, virtutum gloriâ refertus, etiam è sepulchrali busto, fragrantissimo ROSARUM odore, Patriam implet & recreat. Immortalia nempe illius opera, non recordatione tantùm, sed imitatione adeò dignissima sunt, ut & Orbis habeat,

beat, quod in hoc Senatore, laudabili studiô æmuletur, & Purpura gaudeat se à ROSIS decus & pondus esse mutuatam. Opibûs ingenij affluens, cùm Aristidem in Areopagis, in Toga Consum, Sago Achillem, in Comitijs Assertorem libertatis Camillum egisset; virtutum illius gazas aucturæ, altera æstimatissima PIENIAZKOVIORUM gemma, magni illius JOANNIS Odrowaz PIENIAZEK, Palatini Siradiensis Filia, connubiali nexu, pretium alti sangvinis & dotum adjecit; altera RVPNIEVIA, satis abundè idem ampliavit. Inter hæc congesta, cum felici virtutum proventu, Cælö digna munera, pia liberalitas primum sortita valorem. Hanc FRANCISCVS, posthabito, quem vana seculi ostentat pompa, luxu, in Seraphicos usus convertit, Aras Divûm dotando, Cætus pauperum alendo, Sacras Ædes, Zielonecijs, Horto Concluso MARIÆ; Principi liliato D. CASIMIRO Cracoviæ dicatas, munificentissimè erigendo. Sic opes in cultum D E I erogatæ, ad Cælos perorârunt & impetrârunt, ut sibi felicior proles, Ducalibꝰ Mitris, Põtificijs Tyaris, Senatorijs Curulibus, Dignitatum Insignibus admovenda, donaretur. Felix Pater, tanta Filiorum Coronâ! felices Filij, quibus &

Pater, Æneas, & Avunculus Hector, pietate in Superos, amore & pectore magnanimo in Patriam, in hostes pugnacissimo præfuit & prælusit. Adestis Coronæ hujus Illustrissima decora, ternæ Vavellanæ geminatus splendor, niveæ mentis ebur, Præsulum gemma & delicium; alter Paphensis Episcope, Suffraganee Decane Cracoviensis, Abbas Claræ Tumbæ. Princeps Tu virtutum, Primatialibus par, facilè ostendis & doces Cælestem in terris, & Angelicam inter homines vivere vitam. Pro DEI honore zelantissimus, titulorum & honorum contemptor. Religionem in vultu, pietatem verbis, utramq; corde & operibus, imò totam Sanctitatis Majestatem præferens, appares MICHAEL. Premysliensis alter Episcope, Præposite Miechoviensis, dives laudum gazophylacium, gemmeîs dici verbis & notari dignus, validos & capaces ferendorum pro Aris & focis operum, explicans lacertos CHRISTOPHORVS. In his etsi ingens videtur evolvi meritorum & dignitatis pretium, auget tamen valorem Coronæ, Illustrissimus & Excellentissimus D. JOANNES à Słupow SZEMBEK, Supremus Cancellarius Regni, Graudentinensis, Łomzensis, &c. Capitaneus. Hic ille JOANNES,

qui

qui aureum OsRegum & vox; Regni adamas, adversis frangi, vel sorti contrariæ cedere nescius, splendore virtutum Majestatem & Libertatem illustrans. Ille CANCELLARIUS, qui ingenti rectefactorum syllabô, Patriam consignans, in diphtera æternitatis aurô notari meretur. Hos inter præclarîs dotibûs & honoribus æstimatissimos Macedonas, æquivalens virtutum & meritorum pondus animo gestans, ALEXANDER SZEMBEK, Dapifer Regni, Becensis Radomscensis Capitaneus, vel ipso sui nominis etymo ostendit, exornandæ satis SZEMBECIANÆ Coronæ, unius Orbis Oratorum elogia non sufficere. Illustrissimos inter umbras Cineres, ANTONIVM Canonicum Cracoviensem, PRÆCLAVM Castellanum Woynicensem, LUDOVICVM Secretarium Regni, Canonicum Cracoviensẽ & Varmiensem, FRANCISCVM Dapiferum Regni, omnes SZEMBECIOS, singulos pretiosos Coronæ uniones, etsi fatorum vi ereptos noveris, cave nè dicas, contritos vel amissos. Vtiq; pretiosa metalla terris abdita, suam retinent æstimationem; & inter noctis opacum, maximè radiant adamantes. Sed de his innuisse, est acumen doloris ampliâsse. Volupe est adhuc in-

ter florum delicias, officioſam Svadam immorari. Hæc dum cogitat; explicant ſeſe Pæstanîs amæniores, ver continuum Patriæ, & decus purpureum in Illuſtriſsimis CHRISTOPHORO Epiſcopo Vladislavienſi, & FRANCISCO Caſtellano Vislicenſi, à Słupow SZEMBECIIS agentes ROSÆ. Horum inſignibûs meritîs & dignitati, ex quo loco ducere laudes debeat, ſecum certat; non ignara, omnem locum eſse virtuti ſublimem; quæ ipſa ſibi Solium, ipſa Curulis. Religionis zelô, avitæ virtutis ardore, & amore Patriæ flagrans, uterq;, vel Cæleſtia ſecum Patriæ circumfert dona, vel Seraphicis æſtuat ignibus.

Repandũt ampliùs folia, & inconditæ Svadæ auxeſim cũ inſigni virtutũ & meritorũ cõgerie adijciunt, in Perilluſtribus & Reverendiſsimis, utroq; FRANCISCO & Canonico; Illuſtribus & Magnificis ANTONIO Succamerario, PETRO Burgravio, Cracovienſibus, STANISLAO Capitaneo Lelovienſi, alijsq; permultis Sago & Toga claris: quorum ſi nomina ſpectes, auratos, gemmeos, adamantinos, purpureos, in decus & commodum Patriæ natos, habes: ſi virtutes & merita, præcelſi honoris coronâ, hanc vel ipſis ſuppeditantibûs ROSIS, dignos æſtimabis. Et cùm fortuna, claritudo Gentis, purpurati ſangvi-

gvi-

gvinis felix hæreditas, ac domestici fasces, Pliniorum vel Tulliorum quærant imò fatigent laudatores calamos; hinc magna Celsissimæ Domûs, quibusvis encomijs majora Nomina, sub rosâ silentij venerabundus relinquo, in præsenti acumine, Magnus Primas tota simul laudis & doloris materies.

Diviniore hic Lucinâ publicæ felicitati natus, animam bonam & indolem Principalem nactus, statim vere novo, sub adolescentiæ flore, maturos Reipubl: proficuos non promittebat, sed reddebat celebrioris ingenij fructus. In tenera enim hujus tenerioris Jûli ætate, subsequens directa serie augusti virtutũ provẽtûs legebatur æstas. Excelsus supra Corpus & annos assurgens, indubius futuræ magnitudinis sponsor animus, perplexa in ludo literario artium rudimenta, lusum sibi censuit; in prætexta, titulorum nonnisi candidatus, & jam PRINCEPS, à virtutum insignium comitatu. Instruebatur tenellum pectus augustis actionibus, regula recti prudentiam, modestiam & candorem animi explicans, oculis obversabatur; mens pietate ad Superos levata, hæc cogitabat, quæ cæli erant. O quantùm admirationis & plausus accessit Musis Academicis, quòd annis tenerior, ingeniô celer,

nulla difficultate teneri poſsit; quòd cæteros præcurrens, ſuapte naturâ in ſumma quæq; & pulchra prominens, ipſe ſibi Dux, ipſe ſtimulus ad virtutem fuerit. Avidam ſciendi ſitim Caſtalijs levabat undis, fontes olim, quos hauſerat, gratijs coronaturus. In Archilycæo Regni, Studijs invigilando, libris impalleſcendo, hoſtem animorum acerrimè oppugnabat, futurus Archipræſul zelantiſsimus & Palladis Jagellonicæ Protector. Pertinaci labore ad faſtigium ſapientiæ eluctari nitebatur, pulchriùs exinde in auge honorum culminaturus. Felices tanto Achille Muſæ! feliciores, ſi quo diutius ſuum decus tenere, ſuas delicias extenſo ſinu complecti poſsent, reperiſsent; ſi PRINCEPS Roſeus, usq; hic in Tulliano campo ad purpuram effloruiſset. Digna quidem jam tunc pulchro cum ingenio forma, tantîs adornari honoribûs, digna frons tantis initiari coronamentîs. Verùm in ingenti ſui vaſtitate omnis eruditionis capax, ſummæ avidum ingenium, non uni Athenæo, ſed toti Orbi Europeo informandum, & excolendum ſeſe præſtitit. E patrijs igitur progreditur Laribus, exoticos luſtratûm Soles, puchrè nativo ſangvinis ſplendore, pulchriùs vitâ moribûs & ſcientiâ radians Ephebus; non quod Lechicus

Po-

Polus, tantum non haberet Phæbum, quo ſuorum pectora Incolarum ferventiùs incaleſcant; ſatis enim abundè politioris ſcientiæ, ad Sereniſsimam MICHAELIS, Regis Poloniarum hauſit Majeſtatem; ſed quòd ad laudabilem boni Civis & Senatoris perfectionem, ritus, mores, & conſvetudo Gentium, rerum peritia & Rerumpublicarum ſtatus requirantur noſcendi.

Sic euntem omnes Camænæ feſtivîs comitantur votis, tenerrimis proſequuntur ac ubiq; pijs circumſtant affectibûs; Cirrham vel Delphos minimè ſollicitando, Diviniori inſtructæ Entheô ſuæ applaudunt, felicitati, inter luctus gaudia miſcent, hunc ſuum olim habituræ Mecænatem, & veneraturæ Protectorem. Hæc ſpondebat, magnanimâ fronte decora, aſpectu gravis, ingeniò præcelſa indoles: quam ut tantùm Latio intulit, omnium in ſe convertit Oculos, omnium illexit animos, & novas in ſe delicias præbuit. Flos nempe Lechici Campi fuerat amæniſsimus, dignus geſtari corde, dignus manibûs exterorum attrectari. Tantæ virtuti, quô majorem cuncti ferebant plauſum, eô vehementiùs admiratione tenebantur, quod Carpathij montes Hyblæis vernent Roſis, Floribûsq; Hymetti: quòd

ad Istuleas ripas, tam culti nitoris, tamq; rotundi eloquij ingeniorum proferantur gemmæ, quas suo novo decori vetus Albula adiecisse gaudet. Introspectans Vrbem, se magis; ibat eô animô, ac vultus compositione, quâ Orbem in Vrbe videre, & se ab Orbe videri, duxit solenne. Non illum æra Corynthiaca, non Gazæ Persicæ, non moles superbæ demoratæ; illa promptiori animo scrutari opera, illa percurrere Olympia contendebat, quæ Principes animi solent. Indoles nempe divitijs animosa suis; hæc facilè aspernatur, à quibus gloriæ & nominis non provenit census; non ignara, delectare quidem multos, fulgurantes sub exotico Sole rerum splendores, quos dum minùs cautô & magis curiosô lustrant oculô, ingeniô & famâ obscurantur. Raró quippe ad Capuam non capitur, imò non frangitur invicti Annibalis fortitudo; Vt quis illæso pede, mente integer circumeat Trojam, Achillis animum præferre debet; inter Africæ monstrosa spectacula non succumbere, Scipionum negotium est. Hæc superba rerum molimina, statuas, Pyramides, & arcus sæpe virtutis esse offendicula, optimè Princeps noverat, sibiq; & suis efficaciter svasit, quòd ex ingenti circumspecta lapidum strue, ad

quam

quam multæ delapidantur opes, diſsolvuntur animi bona, non religioſa fit Tyronibus inſtructio, nec ullus laudum ſurgit cumulus; & à ſummitate obeliſcorum menſurata, magnitudinem animi metiri non convenit. Noverat, quod congeſtæ in faſtum Pompeianæ moles, Septizonia, & amphitheatra, ſunt vana oculorum ſpectacula, conſumendi temporis vaſta materies & jactura. Viderat hæc turrita & ſumptuoſa opera Princeps, & ut fas eſt, laudavit, mentem tamen ſuam, quæ jam ſanctioribus deſtinabatur curis, eò magis divertiſſe nitebatur, unde Genti gloria, ſuo nomini decus, expectationi corona pararetur.

Dierũ illius tractus, procul à ludicrorũ calle, & quavis illecebrarũ ſemita, viâ recti & honeſti inſtructus, ita ducebatur, ut nullibi metam niſi in Capitolio laudis teneret. Verſandis revolvendisq; cultioris ſapientiæ libris, totum ſe impendit; Regnorum momenta, quibus ſtarent, noſcendi, idiomata Gentium, mores, ſitum, & ingenia callendi, illuſtria facta & exempla notandi avidiſsimus. Principalis tamen ipſi in ſcientijs Divæ Themidos cura fuit, cujus experientiæ & dignitati, ars ac methodus ſcandendi Subſellia, ſubordinatur. Potiori titulô cultor Divinioris Aſtrææ

eſse debuerat, qui Lechico Polo auricomus Hiperion exoriturus erat. Hanc præcelſæ virtutis, & ſapiẽtiæ claritudinẽ proſpectãs Roma, quæ olim Civicarum, Muralium, & aliarum fuerat diſpenſatrix coronarum, tempora Viri omni ſeculô memorandi, virenti inſignivit laurò. Applauſiſse hæc ſuæ felicitati viſa, quòd huic ſuperiecta vertici, quem Principales faſces, Ducales mitræ, & prope Regia ambirent decoramenta, culminaret. Sed cùm ſolerti ingenio & multorum capaci in faciè Vrbis emineret, pietatis ſtudiò vel maxime excelluit. ROSEUM ſui pectus, virtutibus vernans, innocentiâ vitæ purpuraſcens, Flori Nazareno, & Horto Cæleſti concluſo, omnimodè intercludere, primum ſibi delicium cenſuit. Inter Sacras Ædes delubraq; Divûm, ſanctiori Purpuratorum Coronæ, quos victrices exornarunt palmæ, ſuæ innocentiæ circumferre roſas, ſolenne duxit & feſtivum, Sive Aris affuſus Cæleſtia Numina precibus placare, ſive inter magna Nomina receptus, pretio virtutum ſuarum, bonis placere ſtuduit, utrobiq; odorem ſvavitatis ſpirare viſus. Hac methodo pietatis in ſingularem Cardinalium evectus amorem, eminentiſsima cordis illorum, ſorte felici ſubintravit penetralia, & ipſius

us

us Supremæ Sedis, grato & acceptabili obſequio coluit Sanctitatem, ubiq; dignè æſtimatus. Hac forma in omne bonum, & laudabile compoſita, magnis prælude bat operibus: ſic certè futurum olim Orbis Lechici Athlantem, & rerum Statorem, ad Primatialem Crucem inſigniri, & ad Ducalem Mitram initiari decuit.

Ergo jam ſacratam, virtutum & utriusq; ſapientiæ conſignatam cimmelijs, ſtatûs Europei optime gnaram, omnium titulorum, certatim ad ſe concurrentium capacem, Româ efferens frontem, glorioſus exultanti reddidit Patriæ. Illam inferiores honorum gradus, nonniſi admirati, quòd tantùm excelleret, ad ſumma, queis digna fuerat, famulabantur faſtigia. Unde Vavellus altiùs ſibi aſsurrexiſse viſus, cùm ſuo culminanti vertici, præcelſæ frontis apex accederet, cùm Superis odoratæ ROSÆ, tergeminis intexerentur Coronis. Ex hoc Culmine ad Tribunalis Regni Subſellium deputatus Judex, ſtetit eô, & tam erectô ſupercilio, tam alto ingenio, quo non ipſe Ariſtides meliùs & æquiùs valeret. Si quas ad lancem maturi, & recti Judicij cauſas libravit, nihil tale apponi, vel adijci etiam ſub ſpecioſo munerum tegmine paſſus, quo

contra jus fasq; omne, aliæ depreſsæ, aliæ ere-ctæ & triumphantes ſpectarentur; ſed æquè timor ſceleri, ſpes & præmia virtuti, ab illi-us Tripode Oraculi propendebant. Tan-quam ab Aſtrææ ſinu terris demiſsus fuiſset, plures Areopagi, ipſius ſeſe ſubijciebāt, illiba-tæ integritati. Ex hoc Culmine, in quo, quot-quot numerātur Patres, ſinguli vel Præſules, vel Infularum candidati, oſtenſus Regno, expo-ſitus Orbi, omnes honorum titulos ad ſe pro-vocavit, ſupremîs dignus. Votis plaudenti-bûs & ſtudijs ſinguli currere, imò volare cita-ti, tantum Caput adire, ſatius ambire decer-tantes. Gratulandum Dioniſiæ Inſulæ, quod in tanto votorum concurſu, prima ſuum Tia-ratū decus, in emeritis frontibus, eminēs, toti Lechico Trioni ſpectandū porrexerit. Stetit hæc, & ſuam victoriā ac fortunā admirara, ſe à longinquis properantem Oris, alias præcur-riſse; indignata ſimul aliarum ſegneſcenti mo-ræ, quòd ejusmodi emeritiſsimæ virtuti debi-ta Honorum ſolennia tardarent. Neq; tamen ſatis autoramenti à ſe, tanto Præſuli venire opinata, Abbatialem Claræ Tumbæ ſibi So-ciam adſcivit, ut ſic unito decore in expor-recta omnibus titulis fronte ampliaret Maje-ſtatem. Animavit hanc Princeps ſuæ pruden-

tiæ

tiæ Spiritu, ut clarior & vivacior omnibus redderetur; illam vel ſe Poſseſsore æſtimabilem fecit, utramq; virtutum gemmîs pulcherrimè diſtinxit. Sic honoratum, ille gratiarum compendium, Regum olim Os & delicium, Sol animorum, JOANNES MAŁACHOVIVS, Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ, ſidereo faſciæ ſuæ circulo, quô niſi virtute & ſanctitate rutilantia Aſtra ambire ſolebat, tanquam Diviniorem Pollucem induxit, & ad molem curarum, Orbis Diecæſani influere fecit; Suffraganeum, Vicarium in Spiritualibus, & Officialem Cracovienſem, cum ingenti omnium plauſu promulgando. Vidiſses in pretioſo & operoſo munere Præſulem, pro honore Domûs DEI, & animarum ſalutifero commodo zelantem; & illos retroactîs ſeculîs Superûm cultu eximios, liberalitate inexhauſtos, labore indefeſsos Pontifices, in ſe revixiſſe probâſses. Virtute & ſanctimoniâ Cælitûm æmulatus vitam, eum ſemper geſsit animum, quo Diviniſsimo ſuo Tutelari, injuriatos protegere, paſcua Ovibus providere ſalutaria, pauperes alere, inopum ditare catervas, principale fuit. Dives tunc pauperies inopũ, felix miſerorum egeſtas, cui Præſul Pientiſsimus omnimodè ſuffragabatur; in hoc niſi fortè miſera,



ſera,

ſerà, quòd tantum Patrem altiores ſibi eriperent honores, alijs daturi. Ingeſserat ſe tunc Vladislavienſis Infula, pridem expectatum redimitura Caput, & Præſulem à culmine Vavelli, ad altius evectura faſtigium. Quid? pauperum cætus, orphanorum & pupillorum agmina, egenorum catervæ, pias Præſulis circumvallant ædes, obruunt poſtes, turmatim obſtant, quaſi acceſsum negaturi: adverſùs juſtam potentiam viribûs impares; ſuppetias quærunt ab alto, Superos precibûs fatigant, accumulant vota, ſuſpiria fundunt, Cælos gemitu & ſingultibus replent, ut liceat ſe amplius tanto gaudere Patre, Tutore. Juſta quidem certatum eſt ratione, ſed juſtior cauſa triumphavit. Ægrè licet dimittentibus orphanis, ex adverſo conſurgentibûs meritîs, aſſumitur Præſul, evehitur ad ſublimioris Pontificatûs honorem, ipſe ſuis virtutibûs ſatis excelſus & decorus.

Quantum Vladislavienſi Tiaræ exinde acceſsit honoris & plauſus, tantum Dioniſia ſenſit in ſuo niſu & conatu, adverſæ ſortis, tantum Clara Tumba ſqualloris! Huic Roſeus Præſul poſt depulſam ſuo ingreſſu adverſantis fortunæ hiemem, ridentes purpurei Veris delicias, omnis ſcil: amænitatis Floralia, & læ-

tiora

tiora tempe ſecum intulit & explicuit. Cultûs Divini propagandi, & ornandæ Sponſæ Eccleſiæ avidiſsimus, Roſas ſuas, ut tantùm in Cathedra ſtetit, per totam Diecæſim circumferre conſtituit; odore ſvavitatis Aras Divûm & Oras Diecæſanas repleturus. Replevit abunde, cùm, Perſonali viſitatione, Paſtoritiū munus exequendo, felicior Perſeus, quidquid tetigerit, Roſa factum Sua nempe ſollicitudine, labore & curâ, & Divorum Templa, cultiori ſupellectili, ordine & apparatu exornata, & reformati per Diecæſim Cleri pectora, ſanctioris vitæ Cælo terrisq; gratam ſpirabant fragrantiam. Felix certè hoc Præſule Vladislavia, cujus purpureis Roſis, modicâ licèt æſtate ſibi vernantibûs, pulcherrimam quamlibet adæquavit gloriæ coronam. Ex hoc vaſto laudum & meritorum ambitu, pandit ſeſe ingens ſupremi honoris amphitheatrum Hinc ego exili licet Oratoria gradatione, cum celſiſsimè evecto Principe ad ſumma properans; relinquo, quid amplius Dioniſiæ, quid Vladislaviæ Præſul geſserit, & ad ſupremam ArchiPræſulei ac Primatialis honoris accedo dignitatem.

Collocatus in primo, poſt Regium Solium, Subſellio, ceu meridians in auge Phæ-

bus, Apogæum ſplendoris ingreſsus, ad frontem totius Patriæ conſtitit, & tanto Orbi pares ſuppoſuit lacertos. Invenit Regnum, privatîs odijs commotum, ſimultatibûs diſtractum, Armîs Civilibus infeſtum, hoſtilibûs circumventum. Mars tunc gelidam linquens Rhodopen, recluſis Jani poſtibus, ad noſtras Oras, quà data porta, ruebat. Totam in nos fermè ciens Æoliam, ſæviebat in immenſum, armorum inſolentiâ tumens, ab Aquilone procella; ingenti ſtridore, feram torquens barbarorum colluviem, furebat Eurus ab Ortu; augebat rabiem præceps Civilium diſsenſionũ turbo; & tota Reipublicæ navis, quam fervidus bellorum circumegit æſtus, inter formidoloſas ſyrtes, & voraces Charibdes fluctuabat. Hac tempeſtate armorum & animorum oborta, Iſtulei fluctus in Rubiconem verſi intumuerunt; cum fortunis Civium pæne abſorptis, Regni malacia penitus abacta: Regale Solium, ex fluctibus malignantium, quadam conſurgente nube, omne pacis ſerenum diſcutiente, impetitum; omnia ſangvine natarunt; parumq; aberat, quin luctantibus cum Aquilone Africis, lacerata Argo naufragium ingens pateretur. In tanto rerum turbine, cùm cæteri in diverſa ſtudia abirent, pleriq; metu,

multi

multi desperatione rerum ad extrema detrusi, nonnulli publica clade, in lucri privati occasionem erecti, & extra se majorem in ruinam elati. Stetit PRIMAS velut Marpesia Cautes, cunctis ingravescentibus malis firmior, fatorum insultibûs eminentior. Nulla hic apud Primatem, pravæ politicæ consilia, nullæ statûs rationes quæ Superos cum inferis miscent. Veritatis, Libertatis & Ecclesiasticæ immunitatis Assertori, hæc votorum & operum maxima fuit; vidisse Majestati & libertati restitutum honorem, spectâsse tranquillitatem Regni, & Civium animos, quos discordia in ruinam diviserat, amore Patriæ coalitos. O miram Superûm, fatiscentibûs tunc rebûs nostris, in hoc Principe providentiam! Tribûs Regni Ordinibûs, sibi tunc quodammodo dissentientibus, ternas suæ jucunditatis PRINCEPS obiecit Rosas; omnes hôc illiciô ad media pacis tracturus. Vna sui parte, dicerem Rosâ, Majestati, ut Patrem Patriæ ageret, astitit; alterâ, Magnorum Procerum Coronæ, in publicis Consilijs præfuit; tertiâ, Nobili Quirituum cætui, nè fidele obsequium detrectarent, interfuit; ubiq; illibatum animi præseferens candorem. Vidit Orbis, scient posteri & mirabuntur, quô animô, cu-

ra & ſollicitudine, tot ictibus concuſſam, ruentem jam à culmine Trojam ſuſtinuiſſe ſtuduerit. Inter Gradivi ſpicula, ſua Pallade tutus, eruditum vibrans calamum, jam partas ſangvine Majorum fortunas, inteſtino bello perituras, jam Heroum nomen, turpi ignominiâ apud vicinos laboraturũ, & bella nullos habitura triumphos, remonſtrabat. Voces ejus & oracula, cùm ſtrepentibus lituis & reſonante Claſsico premerentur, quæ tacitô, & ſalutari in publicum concepit votô, cætui Patrum evulgâſſe anhelabat. Ibat Cygneus Neſtor, candidô venerandus ſeniô & animo, per tela, per nives, & graviorem hîs odiorum Civilium rabiem; quò zelus boni publici, & Patriæ rapiebat amor. Vicit hoſtium minas, ſuperavit vias, fugit verſutias, in loco publicis Convocationibus & conſilijs deſtinato, comparuit, ut inter fati & fortunæ ſævioris diſcrimina, periclitanti Reipublicæ, communicatô conſiliô ſubveniret. Bene conſulta Patrum reſpuens malignantium furor, & illis acquieſcere nolens, illuc Principem, ubi ſalutem Patriæ tutari poſſet, abijſſe fecit. In Montem Clarum REGINÆ Poloniæ ſacrum ſeſe contulit; ibi totam Poloniam in votis ſuis oblaturus. O quot ibi ſuſpiria ad Superos

peros

peros mittit, ut gementem sub pondere mali Patriam respirare faciant. Quot lachrymarum imbres ab oculis fundit! nè sangvis Regnum ampliùs inundet. Iam manibûs extensis, humi prostratus, ex hoste palmas; jam ad pectus complicatîs genu flexus, Cælestium gratiarum favores Patriæ ampliandos poscit. Ad Cælorum Imperatricem, Sanctiorem Vnionis Hypostaticæ Arcam, sua vota deponit, ut divisos Civium Animos in unum coalescere faciat. Hanc urget precibûs, movet pijs affectibûs, dignetur succurrere lapsis Poloniæ rebus. Et certè, cùm hic continuò pius ad Aras steterit Phinees, cessavit quassatio. Hujus enim Thaumaturgæ VIRGINIS, Divinioris Auroræ, benigno aspectu & influxu, Martiales extincti ignes, suffocata odia, compositi animorum fluctus, totaq; malorum procella resedit.

Hæc dum PRIMAS communis boni gratiâ egisset, particularis Pastoritij muneris minimè oblitus. Felices Archidiecæsanæ Oves! quibus datum svaveolentibûs pasci Rosetis. Quid enim ille Pastor pro Ovibus non dederit? qui se, cum vita usibus Patriæ consecrauit. Sinum gratiæ Principalis & favoris, quo omnes complecti vellet, aperuit, Generalem Synodum

dum in ſua Archidiecæſi inſtituendo. Illô tunc cum majeſtate Archipræſulei honoris progrediente, ibat pietas innumero virtutum ſatellitiô cincta; ponè ſequebatur exemplaritas morum; & ſi quæ exulabat ab Archidiecæſi probitas, tunc plaudens redijſſe viſa. Profectô pientiſsimorum Archi-Præſulum ſanctior Epitome, PRIMAS STANISLAUS. Non ſibi ille, nec uni, ſed toti ſe Orbi Chriſtiano natum & expoſitum ſciebat; omnibus jucundus, ſingulis exemplaris eſſe voluit. Nemo ad illum acceſsit ſpectator, qui non recederet, virtutis, pietatis & actuum pro Patria Heroicorum laudator. Nullum de ore ipſius prodijt verbum, quod Cælos, quod Religionem & Regionem non ſaperet. Nullum opus æſtimavit, quod non à bono publico, & liberalitate in egenos inchoaretur. Larga manu profuderat opes, ditans Altaria, dotans Eccleſias, erigens Noſocomia, ut vel hac ratione Cæleſtem ſibi compararet poſſeſsionem. Ingens & magnificum eſt quod dixi: quodcunq; relinquam, majus erit.

Illud tamen præterire, crimen, illud ſilere piaculum eſſet. Inter maximas curarum de Republica moles, etiam de Literaria non minùs ſollicitus erat. Eô Princeps affectu & a-

nimo

nimo proſequebatur Craciam Palladem, quo nemo unquam magis. Ictus ad oculum ejus intentus fuerat, ſi quis quovis prætextu Cracias pupillas tangeret Muſas. Roſeto ſuo nonnihil jucundi accedere cenſebat, ſi Jagellonicæ laurus omni fulmine malorum liberæ ſtarent. Jovem dixeris, qui à Regno Palladis, omnem, quæ ferreo hoc ſeculo conſurrexerat, retundebat Gigantomachiam. Nec mirum, Encyclopædia ſcientiarum fuerat, Regni Scholam ab adverſis tueri, ab infenſis protegere, principale ſibi objectum habuit. Quaſi parum eſſet PRIMATI, ad immortalem gloriam, quod ſit Atlas Regni, Fulcrum Throni, Columen Patriæ; niſi labentem Domum Palladiam magnifico ſumptu & impenſis fulciri curâſſet. Stat fulta Domus Major ab extra, nitet intus auratis parietibus culta, utrobiq; munificam manum admovente Principe. Quam latè amplius, ipſos usq; adæquans Jagellones, ſuæ Liberalitatis in rem Academicam extenderit palmas, inde metire. Incendium, quod oppoſita dedit vicinia, plurima depaſcens tecta, etiam ſacratas D. Themidi inflammavit Ædes, antiquitatis decora conſumpſit, omnia incineravit, ſolas niſi lachrymas relinquendo. Phæ-

nix ille Benefactorum, & Mecænátum Primas, ſpectavit à longe fumantis illius Troiæ cladem, ſenſit ruinas, vidit diſsipata mænia, doluit favillîs inſepultas Ædes. Parum eſt doluit, ſed aurei metalli copiam, quo in hanc, in qua nunc pulchrè conſpicitur, ſurgeret formam, munificentiſsimè ſuppeditavit. Et cum hæc ac tanta fudiſſet vivens beneficia, mori non aliter voluit, niſi ultimis Tabulis inſignē ſummā Univerſitati reliquiſſet. Ignoſcetis pientiſsimi Manes, ſi opus Cælo dignū, quod Primas celatum eſſe voluit, ſeculis revelabo. D. JOANNEM CANTIUM ille, devotiſsimè inter omnes coluiſſe ſtuduit, quo tamen cultu Divum proſequeretur, nullum ſcire, pro votis habebat. Solenne eſt, quòd pietas Aram D. Patriarchæ, aurô, & pluſquam Pario marmore exornaret; ille, ut Beati Canonizationem acceleràſset, pretioſos Lapillos & Clenodia contulit. Micat Ara Divi argentô, reſplendet aurô, nitet marmore, ſed magis Archipræſuleo candore. Laudarem amplius! encomijs extollerem, ſed Primas meîs conatibûs major, omnibûs elogijs excellentior. Scribent faſti, qualē nobis boni Superi hoc infauſtô ſeculô dederint Protectorē, qualem acerba fata eripuerint Mecænatem. Sed quid ereptū

pro-

profero! cujus immortale nomen Musa vetabit mori: cujus beneficia Cracia Pallas non tam in Codicibus, quàm in Cordibus aureo stylo exarabit; ut sciant & legant Posteri, secuturisq; seculis narrent, quantum Vniversitas, Primati, Protectori & Mecænati debeat.

Vitæ felicitatem, quam arctior exprimere nequit pagina, inde leges. Septuagesimum agens annum, in confecto laboribûs senio dolores sustinebat, tolerabat cruciatus, tanta animi tranquillitate, qualis Roseum & sine aculeis decebat Principem. In ipsa morte vivere videbatur, qui antè, dum viveret, continuò sibi moriendum cogitabat. Ita nempe moritur, justus, pius, & pro Patria, vigilantissimus Princeps. Quam verò dulcissimus Pater Patriæ fuerit, apes ipsæ, pridie mortis, toto examine convolantes, ferunt judicium. Crediderim has, ád aulam Principis, alveare sibi quæsituras; sed o prodigium! fenestras circumstant, Cubiculum petunt, ingressum urgent, ipsum forsan Principem, ni arcerentur, aditurae, & Rosas Primatiales, antequam morte pallescerent, libaturæ. Sed vivet PRIMAS non solùm inter Astra, quibus eum pietas inseruit; sed etiam inter lucida Domus Celsissimæ & Patriæ sidera. Vi-

vet in Vobis, vestrîs titulîs Majores, ultimæ illius voluntatis dignissimi Præstites. Vivet in magnis magnarum Familiarum Nominibus; quos præsens breve folium, inter acumen doloris, sub rosa silentij tenet, ut lætiori servet materiæ. Avelli à Vobis nunquam poterit, quos sibi sangvinis & amoris integerrimi nexu univit. Transplantatæ in Cælum Primatiales ROSÆ, non à vobis lachrymas poscunt, ut vireant; sustinete ab his, quas justus dolor, mihi verba eripiens, Vobis elicit. Pia tantùm suspiria date, & sinè quovis acumine, inter delicias, in æternitate florebunt.

# Regestr Panegiry Pogrzebowych

A.

1. Acumen Doloris explicatum
2. Ad mentem Patria Caput

C

1. Clavis Aurea fracta
2. Classica Mortis feralia

D

1. Dissertationes super rubricas.
2. Dolorum Oneraria navis producta.
3. Dolor Patria Aeternus

E.

1. Encomium ad solennes Exequias

J.

1. In Obitum Serenissimi Principis.
2. Iactura Orbis Literarij transmissa.

K

1. Xiężyc adumbrowany.

L

1. Legatus renunciatus.

M.

1. Memoria Seculorum intimata
2. Monumentum Doloris dedicatum.
3. Monumentum Consecratum
4. Mowa na pogrzebie
5. Munus Dolorum

P

1. Parasceve Descripta

S

1. Splendor Consecratus

T

1. Tropheum wyrysowane
2. Tropheum Consecratum

39

1 Vivat Æternum impressum
2 Viva Mors seu Morti superstes

